
# EPISTOLA
# PASTORALIS
## AD CLERUM
*E T*
## POPULUM TARVISINUM



TARVISII

APUD JULIUM TRENTO

MDCCLXXXVIII.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

116

Digitized by Google

# BERNARDINUS MARINUS

## EX ABBATE LATERANENSI

*DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA*

## EPISCOPUS TARVISINUS

## DUX, MARCHIO, ET COMES

*PRÆLATUS DOMESTICUS, AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS &c.*

*Venerabilibus Fratribus, ac dilectiſſimis Filiis, Clero & Populo univerſo Civitatis ac Diœceſis Tarviſinæ.*

SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.



SI hoc erat Divino prænordinatum conſilio, ut pars aliqua Dominici Gregis humilitati meæ regenda committeretur; eſt profecto cur æternæ Providentiæ gratias et agam maximas, & habeam, Venerabiles Fratres, Dilectiſſimi Filii, quod PII SEXTI Pont. vere Max. auctoritate, et nullis verbis enarrabili munificentia, Sacris Tarviſinis potiſſimum præpoſitus fuerim. Nec vero me invitat, atque allicit dignitas iſtius nobiliſſimæ Eccleſiæ, Beatiſſimi Apoſtolorum Principis

titulo

Digitized by Google

titulo inſignitæ, ac S. Prosdocimi auspiciis fundatæ. Qui enim nimium conscius infirmitatis meæ poſſum non vehementer commoveri, ac conturbari, dum mihi venit in mentem, quot ſanctiſſimi, et pietate, doctrina, prudentia præſtantes viri iſtam Sedem tenuerint; meque eſſe suffectum PAULLO FRANCISCO JUSTINIANO, qui nuper Episcopali se munere abdicavit, auctus ARCHIEPISCOPI CHALCEDONENSIS titulo & honore: ingentis, spectatæque virtutis Viro, et qui in ipsa antiquiſſima, florentiſſimaque ſtirpe generis pluribus Beatorum Albo adjunctis Viris glorietur?

Sed tamen prospexit clementiſſimus Deus imbecillitati meæ, voluitque, cum me plane immerentem, nec difficillimam hanc, et vel Cæleſtibus Mentibus reformidandam procurationem, quantum fortaſſe fas erat, pertimescentem, secundum beneplacitum voluntatis suæ, ad iſtius Eccleſiæ regimen vocavit, voluit, inquam, quod in Paſtore deeſſet, Gregis bonitate supplere. Nactus enim sum Populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, oves Paſtoris vocem audientes, eique facile obsecundantes: tum et eam Civitatem, quam ego præ omnibus unam chariſſimam habeo; quippe qui ex ea Gente ſim, cujus plures pro inclyta Veneta Republica inibi Civilem magiſtratum eo benemerendi ſtudio geſſerunt, ut in Tarviſinos collata ab eis beneficia, et per vos publicis, et literarum monumentis conſignata, ad memoriam permanent sempiternam. Itaque multa, quæ mire animum erigit, mihi fiducia eſt apud vos; neque enim vereor, ne me legatione pro Chriſto functurum, Patrem et Paſtorem, abundantiori adhuc filiali obsequio suscipiatis.

Atque utinam ſtatim ac Paſtoralis servitutis sarcina mihi impoſita fuit, ad vos contendere potuiſſem, vosque, ut maxime optabam, paternæ dilectionis osculo amplecti.

Agam

Digitized by Google

Agim tamen, ut quæ adhuc injiciendæ neceſſario sunt moræ, eas faciam perquam breves. Et ecce nunc, vix peractis solemnibus Consecrationis meæ cæremoniis, more majorum venio ad vos per Epiſtolam, quæ me vobis præsentem ſiſtet, ſignificabitque meam Miſſionem ad vos, ut adlaborem vobiscum diu noctuque ſine intermiſſione, non mea quærens, sed quæ veſtra sunt ad salutem, nec prælationis gradum pro me, sed pro vobis adscensurus. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem D. N. Jesu Chriſti, ut me confirmet potentia virtutis suæ, effundatque super me spiritum conſilii & fortitudinis; ut ea quæ agenda sunt, videam, et ad implenda ea quæ videro, animus convalescat.

Jam Vos alloquor, Filii Sion inclyti, amicti auro primo, Tarviſinæ Eccleſiæ Senatus, dignitates & Canonici. Si ad conservandam, augendamque Eccleſiaſticam disciplinam vos inſtitutos eſſe ait Tridentina Synodus, *( a )* utque Episcopos opere et officio juvetis, enitar ego ad Ordinis veſtri jura ac decora non solum tuenda, sed etiam, ubi occaſio tulerit, amplificanda, ſincere animatus, ut Vos habeam magna mihi caritate perpetuo conjunctos, utque ſitis Sacerdotii mei robur et corona præcipua! *Stemus ſimul*, ut vere effatur Scriptura, *( b ) et quis adversarius meus?* Oro itaque et obsecro vos, ut ambuletis mecum in Domo Dei cum consensu, et tanquam membra Capiti cohærentia & obsequentia servetis unitatem spiritus in vinculo pacis. Pergite, quem jam miſiſtis, bonum Chriſti odorem effundere; et date operam, ut quibus certo honoris faſtigio antecellitis, iis pietate quoque, doctrina, omniumque virtutum splendore præſtetis. Diligite decorem Domus Dei: *Sed*

( a ) *Seſs.* 24. *Cap. XII.*
( b ) *Jsa.* 50. 8.

*Sed decorem domus non dico pulchritudinem parietum, aut miniſtrorum pretioſiſſimos apparatus, sed ipsorum actuum beatiſſimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Eccleſia, ſcilicet in pſalmorum jubilatione, in precum ſanctitate, in Chriſtiani populi devotione.* Sic inquiebat ille sapienter Davidicorum psalmorum interpres. (c) Aſt ego de Templo quoque manufacto compellor, ut dicam cum Nehemia: *Surgamus & ædificemus.* (d) O ſi aliquando idem mihi contingat, quod Filio Regio Salomoni, cui gloria operis incæpti a Patre David reservata fuit! Nullo certe majori exultabo gaudio, quam ut Sponsam meam, vetuſtiſſimam iſtam Eccleſiam, quæ cæpit reſtitui exorientis regiminis Prædeceſſoris mei tempore, feſtivam tandem ac lætam, in conspectu omnium Filiorum suorum ego valeam solemni ritu consecrare.

Nunc ad Vos feſtinat animus, Venerabiles Animarum Curatores, qui habetis quotidianam inſtantiam in solicitudine Parochiarum, ejusdem mecum laboris, ejusdemque gloriæ participes. Poſtulat a vobis Religio, et ipsa humana Societas, quæ tantum in Religione præſidii ſibi conſtare sentit, enixe poſtulat, ut munus veſtrum divinorum omnium diviniſſimum indefeſſa animi corporisque contentione impleatis. Ego vero minime timens de veſtra fide, sed ut veſtram excitem in commonitione ſinceram mentem, ad rem bene gerendam adhortor. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei; providentes non coacte, quemadmodum Mercenarius, qui videt lupum venientem, & dimittit oves et fugit; sed spontanee secundum Deum, quemadmodum Paſtor, qui dat animam suam pro ovibus suis; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in Cleris, sed forma

(c) *Caſſiodor. pſalm.* 25.
(d) *Eſd.* 2. 2, 20.

Digitized by Google

ma facti Gregis ex animo, exhibentes vos duces & magiſtros publicæ disciplinæ, et tanquam facem, in quam populus intuendo lætus et alacer in via Domini gradiatur. Charitas Chriſti urgeat vos; neque unquam fiat, ut non teneat vos defectio pro peccatoribus legem Divinam derelinquentibus. Quod infirmum eſt, consolidate, quod devium, vocate, ſi quid diſſonum, inconditum, perturbatum, fortiter, suaviterque componite, moderamini, dirigite; ut de vobis jam dici poſſit: quam specioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Feſtorum dierum ſanctificatio, quandoquidem eorum recens legitima imminutio vos cogit in sacras Conciones, et Chriſtianæ Doctrinæ explicationes acrius incumbere, vobis summopere cordi ſit. Quæ ab ampliſſimo Prædeceſſore meo in Viſitationibus fuerunt sapienter decreta, executioni mandate. De his enim, tum an legum Synodalium vigeant vires, rationem sum aliquando a vobis exacturus. Oro itaque, ut charitas veſtra magis ac magis abundet, ut Paſtoris nomen quod geritis, vita & actibus digniſſime teneatis.

Ad vos deinde gradum facio, qui extra Curatorum ordinem, tamen Divino mancipati eſtis servitio, genus electum, Sacerdotes Sancti, qui ad Montem acceſſiſtis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. *Mundamini*, clamat Jsaias, *qui fertis vasa Domini*. (e) Hoſtias igitur offerte illi acceptabiles, exquiſita animæ munditia, pura mentis intentione, et accensa cordis devotione. Qui inter vos Confeſſionibus excipiendis sunt addicti, quas partes subiere reconciliandi Deo homines, easdem obire satagant doctrina, probitate, tum & mansuetudine ejusmodi, ut plus corrigendo agat benevolentia, quam severitas, plus charitas,

(e) 52. 11.

Digitized by Google

tas, quam poteſtas: Nec rurſum ſe quiſquam putet, cum ei hoc munus, aut aliud hujusmodi non ſit creditum, ideo vitam otio deſidem, vel ſæcularibus negotiis implicatam traducere ſibi licere. In domo Patris cæleſtis manſiones ſunt multæ; in quibus etiam qui minus polleat facultate ingenii, pati non debet officium ſuum requiri pro modulo illius myſtici talenti, quod in terra abscondere, ut ſterilescat, nequam et infidelis eſt Servi. Serio igitur cogitate, ex hominibus aſſumptos pro hominibus conſtituiſſe vos Deum, ad Eccleſiam ejus adminiſtrandam, et Sponsam Chriſti decorandam: vosque Sal terræ ideo appellatos, quia cujusmodi ſunt Sacerdotes, ejusmodi plerumque eſſe ſoleat & populus: ac propterea, ut ille ſanctificetur in vobis, in id maxime enitimini, ut abſtineatis vos vel ab ipsa ſpecie mali, componentes vitam moresque veſtros ita, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque rebus omnibus nihil niſi grave, niſi modeſtum, niſi religione plenum præferatis. Sic digne ambulabitis vocatione, qua vocati eſtis: Deo vacabitis, et de Eccleſia bene merebimini.

Vos autem, novi Eccleſiæ candidati, qui ad Clerum accedentes, ad Altaris officium aspiratis, videte quam viam capescitis, et conſiderate ſanctitatem officii, quod optatis. De me certe ſic habetote, conſilium auctore Apoſtolo susceptum, cito manus nemini imponendi, ſervaturum tam religiose, tamque conſtanter, ut nulla cuivis commendatio ad gradus Eccleſiaſticos obtinendos apud me profutura ſit, niſi quam ex ſtudio pietatis et doctrinæ teſtimonio profectam cognovero. Quoad illos vero, qui intra mei Seminarii septa, (quandoquidem hoc pietatis, et bonarum artium domicilium mihi in amoribus ac deliciis ſemper erit) adolescunt, tanquam tenellæ plantæ ſecus decurſus

aqua-

Digitized by Google

aquarum, daturæ fructum in tempore suo; ita facili favoris mei aura benemerentes prosequar, ut alacrius ad majora semper virtutum incrementa procedant, quæ cunctis demum læta eſſe poſſint, & utilia.

Libet quoque Regularium Ordinum profeſſores, qui in ſeverioribus Eccleſiæ caſtris merent, nec tamen recusant villicationis paſtoralis socios et adjutores eſſe fidiſſimos, brevibus verbis, nec vano fortaſſe ſtudio præfandi, amantiſſime compellare. Quem enim fugit, quam vos pro tuenda atque amplificanda Catholica Religione, agroque Dominico excolendo, hactenus ſtrenuam navaſtis, inque dies navatis operam? Ita mehercule semper fiet, maximo etiam Gregis mei bono, ſi quæ voviſtis Deo in conspectu populi ejus, sancte cuſtodientes, Majorum, qui vobis præceſſerunt, charismata meliora æmulemini: ſi semper cavebitis fluctus vitæ, quos semel fugiſtis, tenentes portum, quem semel intraſtis: beatos vosmet quoque putantes, cum vos oderint homines, et exprobraverint, et ejecerint nomen veſtrum tanquam malum; scientes quia Mundus Chriſtum priorem vobis odio habuit.

Salvete et vos, Virgines Sacræ, illuſtrior Gregis mei portio, quæ fallacem gratiam & vanam pulchritudinem contemnentes, voluiſtis servire Deo in omni caſtitate, magis quam habitare in tabernaculis hominum. Horum igitur cavete affatus, et propoſitum veſtrum conſtanter tenete, ſtabiles in fide, humiles in timore, in mutua charitate concordes. Psalmis & hymnis, corde et ore laudantes Deum, orate etiam pro Sereniſſima religioſiſſimaque Republica noſtra, cujus munere ſtatus vitæ vobis salvus in pace manet; ut illi domi omnis ſit læta quies, foris autem magnum nomen. Gaudete quoque, sed in Domino semper, illo ſiqui-

dem

dem verò gaudio, quod a vobis exulare falso arbitrantur Filiæ Belial, quæ spem non habent, dum certant pro fluxarum rerum vili, brevique gloriola. Vos autem Filiæ in Chriſto chariſſimæ, spei, quæ non confundit, innitentes, præliamini bella Domini, ut inſignes de humani generis hoſte victorias referentes, ſi quando media nocte clamor fiat, et venienti Sponso obviam eatis, et quam ille vobis coronam præparavit, eandem in lætitia et exultatione reportetis.

Nec vos ſilentio præteribo, Filii dilectiſſimi, qui in sæculo versantes meo tamen concludimini Ovili, quosque tueri, et pascere debeo, rationem de vobis Paſtorum Principi cum apparuerit, redditurus. Civitas veſtra cultu Religionis semper excelluit; quod teſtantur vel ipsa tot laudabilia et ad gloriæ decus, et ad publicam utilitatem longe præclariſſima apud vos Inſtituta, quæ a Religione primo fluxerunt. Nec mihi propterea verendum, ne priscum Fidei depoſitum, tanquam nobile patrimonium intactum, atque integrum firmiſſime retineatis. Sed *quoniam dies mali sunt*, ut ait Apoſtolus, ( *f* ) et hac vivimus ætate, in qua chriſtiana torpescit pietas, frigescit Charitas, hominumque mores ab antiqua severitate tantopere deciderunt: nec rursus desunt Magiſtri mendaces, qui introducunt sectas perditionis; quique scriptis blando ſtylo, et ad humanos sensus decipiendos accomodato linitis, et undequaque diffuſis, venenatam libertatem cogitandi et agendi incautis propinant: ideo vobis, eodem Apoſtolo docente, hæc scribo, *ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum .... nemo vos seducat inanibus verbis*. ( *g* ) Quicumque vere sapiunt, imprimisque

( *f* ) *Ephes.* 5. 16.
( *g* ) *Colos.* 2. 4. 5.

que qui Nobilium cenſentur ordine; quem ego præcipuò in honore ſum habiturus, iidem mihi præſto ſint: ipſi, quorum bene morata vita, et ſanctis exemplis firmata auctoritas tantopere confert in plebis ædificationem, pro virili ingruentibus occurrant corruptelis, avocentque alios ab impiorum librorum contrectatione, ut hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; et qua ipse eos donavit, libertate potiti, diſcant captivare intellectum in obſequium Fidei, et pravis animi affectibus perpetuum indicere bellum. Omnis porro honeſtas, quæ paſſim nihil niſi nomen eſt; omnis dignitas, et virtutis ſplendor tum demum eluceant in vitæ morumque innocentia, et in æmulanda Majorum veſtrorum Chriſtianæ Religionis diſciplina, quæ ſemper faciat vos geſtare ſignum Dei vivi in frontibus veſtris, haud degeneres Filios piiſſimæ Matris, quæ vos Chriſto genuit, et alit ſola, *quia*, ut ait conterraneus Veſter Venantius Epiſcopus Pictavienſis, *una eſt Eccleſia ſine ruga*. ( *b* ) Cujus ſane præcepta qui colit, ac monitis obtemperat, et vir bonus, et utilis patriæ Civis vere, ac merito exiſtimatur. Ipsa etenim cælitus erudita, et qua fungitur poteſtate, æternam beatitatem, vel æternum exitium pollicendo, Fidelibus ſuis edicit, quomodo honeſte, et ſecundum ordinem omnia inter eos fieri oporteat. Deum ex toto corde, ex tota anima veſtra ſuper omnia diligite; et ambulantes in omnibus viis ejus, præbete ſingulis, quæ ſua ſunt, cui honorem honorem, cui tributum tributum: omnis enim anima ſubdita eſt Poteſtatibus ſublimioribus, quæ ſunt a Deo. Sit ſuus honos rebus ſacris, ſacrorumque miniſtris. Nullos extollat ambitio: divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere: pauperes in humilitate ſua patientiam habeant, pati-

( *b* ) *Opera Omnia* Tom. I. pag. 377. Edit. Noviſs.

120



patientia enim pauperum non peribit: Servi obediant per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quaſi hominibus placentes, sed in ſimplicitate cordis timentes Deum, non contradicentes, non fraudantes. Viri uxores suas diligant, ut corpora sua: uxores viris suis subditæ ſint, ſicut Domino; et sciat unusquisque vas suum poſſidere in ſanctificatione, non in paſſione deſiderii, ſicut Gentes, quæ Deum ignorant. Filii parentibus suis obtemperent: parentes filios suos ad iracundiam ne provocent: amicus fraudolenter non incedat, nec frater supplantet fratrem suum: nolite unquam vinci a malo, sed vincite in bono malum; deponentes ſimulationes, et invidias, et omnes detractiones. Omnia denique veſtra in Charitate fiant; plenitudo enim legis eſt dilectio.

Hæc eſt, Venerabiles Fratres, Dilectiſſimi Filii, divina illa sæpe in Eccleſia iterata vox; hæc illa eximia charitatis virtus, totius juſtitiæ, atque inde æternæ, ac humanæ etiam felicitatis effectrix, quæ in cunctis officiis persequendis ſtabilem vobis, inoffensumque cursum præſtabit Quod ut certiſſime fiat, Orationes veſtræ innotescant apud Deum; et ad præſidium quoque confugite Beatiſſimæ Deiparæ Mariæ, quam speciali cultu Eccleſia & Civitas veſtra semper coluit; nec non B. Liberalis Patroni, et Benedicti XI. Concivis veſtri, cæterorumque Sanctorum Urbis Tutelarium, ut suscipiant causam noſtram, respicientes semper de Cælo in vineam iſtam, solius Divinæ gratiæ virtute perficiendam. Valete: et Deus pacis ſit cum omnibus Vobis. Amen.

Venetiis in Cœnobio Charitatis Canonicorum Later. Cal. Maii MDCCLXXXVIII.

D. Gio: Batta Dr. Rossi Cancellier Vescovile compose questa lettera. —